8

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, *DE* APOPLEXIA,

Quam

AUTORITATE ET SUFFRAGIO

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ

in Almâ hâc Salanâ,

PRÆSIDE

MAGNIFICO UNIVERSITATIS h. t. RECTORE,

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo

DN. GEORGIO VVOLFFGANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. P. P. Archiatro Saxonico, & S.R.I. Acad. Nat. Curios. Adjuncto meritissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo summâ observantiâ devenerando,

PRO LICENTIA,

Summos in arte medicâ honores & Doctoralia privilegia legitimè obtinendi,

publicæ eruditorum censuræ subjicit

GEORGIUS HENRICUS BACHOVIUS,

GOTHA-THURINGUS,

in Auditorio majori,

Ad diem 3. Novembr. Anno M DC LXXX.

horis matutinis & pomeridianis consvetis.

JENÆ, TYPIS VIDUÆ SAMUELIS KREBSII.

Serenissimo
Principi ac Domino,

DOMINO
FRIDERICO,

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Principali Dignitate Comiti Hennebergiæ, Comiti in Marca & Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein & Tonna &c.

Domino Suo Clementissimo,

dissertationem hanc medicam
humillimâ devotione
consecrat
Serenissimæ Suæ Celsitudinis

Subjectissimus

Georgius Henricus Bachovius.



J. J.
PROOEMIUM.



Iſeram poſt lapſum mortalium conditionem vir incomparabilis eruditionis *Democritus* ingenioſè depinxit his verbis: *Totus homo ab ipsâ ſtatim nativitate morbus eſt.* Innuit nempè, tàm caducam valetudinem noſtram eſſe, ut perfectè ſanus vix mente concipi queat; tantam ſanitatis inconſtantiam, ut nulla Rhetoris eloquentia illam fando ſatis deſcribere valeat.

Tot enim morborum generibus totum humanum corpus ab incunabulis ad ultimum uſque halitum exponitur, ut divi *Auguſtini de civitate Dei lib.22. cap.22.* ſuffragio, vix libris adhuc ſint comprehenſa.

Fuerunt quidem, qui, eorum numerum ut inirent, animi & corporis nervos intenderunt; verùm adhuc nemo extitit, qui omnes ſe adſecutum gloriari poſſit.

Hinc cum ethnicorum ſapientiſſimus *Seneca epiſt. 95.* febrium ſolum genera innumerabilia eſſe fateri non erubeſcat, à veritatis tramite minus aberrabo, quando ſummatim tot præternaturales affectus, quot homines, id eſt, innumeros reperiri dicam.

Sententiæ huic, cum proclivem aſſenſum ubivis nanciſcatur, & propriâ luce radiet, lumen aliunde fœnera-

nerari ſupervacaneum eſſe duxi, & hujus laboris loco ex tam variis morborum generibus tantùm unius, qui vulgò APOPLEXIA vocatur, naturam, cauſas ac curationem in INAUGURALI hâc DISPUTATIONE gratioſæ Facultatis Medicæ indultu paulò intimius perſcrutari decrevi, quod divina Clementia benignè juvare ac ſecundare velit.

CAPUT I.

De
Ὀνοματολογίᾳ & πραγματολογίᾳ
apoplexiæ.



QUod Græci *ἀποπληξίαν*, ἀπὸ τοῦ *ἀποπλήττειν*, *à graviter percutiendo*, metaphorâ à victimis cæſis deſumptâ, vocant, id Latini per affulgurationem ſeu ſiderationem, q. d. ſideris ſeu fulminis percuſſionem indigitant, quo ipſo invadendi modus ſubitaneus & vehemens exprimitur. *Hippocrati* modò τὸ βλητὸν, modò *ἀφωνία*, modò παράλυσις dicitur.

Aliis, *Celſo* præeunte, Attoniti morbi, *Paracelſo* verò Guttæ nomine venit, nec inconvenienter miſerere mei cognominari ratus eſt *J. L. Hannemannus Diſſ. de uſu & abuſu inebriaminum in præfat.* Sunt, qui juxta *Platonem* morbum medullarem vocant. Germanico idiomate exprimitur der Schlag/ die Rührung/ der Tropf / die Hand Gottes/ quorum, ut & aliorum Synonymorum rationes *Juſt. Cortnummus lib. de morb. attonit. cap. 2. & ſeq.* concinnè expoſuit.

Miſsâ quà *Homonymiam* generali apoplexiæ ſignificatione, ubi ſecundum *Hippocratem* & *Galenum* cum ἀποπληξίᾳ propriè ſic dictâ, παραπληξία & παράλυσις totius alterutrius lateris ſub unâ claſſe ſimul comprehenduntur; miſsâ itidem ſpeciali, quâ ſentientis ac moventis animæ in definitâ parte

hâc

hâc vel illâ suspensio, i. e. παράλυσις particularis denotatur; specialissimam, quæ animalium totius corporis functionum omnium sufflaminationem infert, & κατ' ἐξοχὴν Apoplexia insignitur, impræsentiarum tractandam seligimus.

Horrendum affectum hunc, quem alii per symptoma, alii per αἱμοστασίαν, alii aliter pro diversâ intentione ac conceptu descripserunt, nos ita definimus:

Apoplexia est repentina animalium actionum totius microcosmi sufflaminatio, cum spirandi difficultate ac stertore, ab impedito spirituum animalium in nervorum principium influxu dependens.

GENUS, quod proximum est, hujus definitionis constituit animalium actionum *sufflaminatio*, sive, ut cum *Sennerto Lib. 1. p. 2. c. 23. prax.* ejusque asseclis loquar, *ablatio* seu *abolitio*, & quidem utplurimum quoad actum secundum, æque, ut in declivi loco circa rotarum impetum, ligno per illas trajecto, inhibendum fieri solet; primus namque actus si simul auferatur, de ægri vitâ conclamatum erit. Et hinc corruit illud, nullam functionem, nisi organum sit amissum aut corruptum, aboleri.

Animalium actionum sufflaminatio dicitur *totius microcosmi*, quod nimirum homo, quantus, quantus est, intellectu, sensu ac motu ita destituitur, ut nec manus, nec pes, nec ulla alia pars organica animali operationi destinata officium suum faciat, adeoque corpus à mortuo solâ ferè respiratione differat, cui & *Galenus 2. aph. 42.* subscribit.

Repentina hæc est læsio, quoad ipsum paroxysmum; utut enim prodromi ejusdem longo satis tempore nonnunquam se exerant, inde tamen simul quasi & semel labascit machina, & corruit.

Hinc sat manifestò constat affectum nostrum ad læsarum & speciatim abolitarum actionum symptomata pertinere, quò & *Sennertus, Horstius, Lonerus, Nymannus* aliique magni nominis viri illum retulerunt.

Objicitur quidem hîc, morbum efflagitare curationem,

 non

non umbram, utpote quæ, curato illo, ſponte evaneſcat, quare & morbum, non ſymptoma, omiſſis adductis ſymptomatibus, breviter definiendum eſſe; Verum quis neſcit, in humano corpore, quod p. n. omne ſui ablationem indicare, adeoq́ue tàm ſymptomatis, quàm morbi eſſentiam nos manu ad curationem ducere? Quamobrem malè, quæ ſenſus & ratio diſtincta demonſtrant, citra neceſſitatem confunduntur. Brevis ſit definitio, ſed talis, ut totam definiti naturam exhauriat.

Meritò itaque Generi *differentiæ ſpecificæ* loco alia quædam, à ſymptomatibus tanquam ſignis pathognomonicis, cumprimis ἀναισθησία, & ἀκινησία, ſentiendi & movendi voluntariâ potentia, ſubjectô & causâ proximâ deſumta, ſubjunximus, ut illis ipſis à conſimilibus affectibus diſcernatur.

CAPUT II.

Subjectum proponit.

De parte affectâ iterum diverſæ à diverſis autoribus foventur ſententiæ.

Nam quidam, neglectô ventriculô, ubi *Helmontius* eam reperiri ſuſtinet, apoplecticos cordis pulſu unà cum pulmonum ac arteriarum motu abolito ſuffocari animadvertentes, apoplexiæ ſedem cordi, ſanguinis & vitæ fonti, aſſignarunt.

Alii relictô hôc, dum vitalium actionum levem ac vix quandoque ſenſilem, animalium verò ordinariè ſatis notabilem læſionem obſervarunt, in ipſius vicem, *Hippocratis lib. de glandulis.c.9.* autoritate, cerebrum potiori jure ſubſtituerunt. Hujus autem, quum pars organica ex ſimilaribus variis compoſita ſit, quænam principaliter afficiatur, in foro medico antiſtites in huncuſque diem adhuc controvertunt. Sic nonnulli, *Galenum l.2.de ſympt.cauſ.c.7.* ſecuti, ventriculos accuſant;

alii

lii cum *Fernelio* & *Riolano* rete mirabile; alii torcular Herophili & craſſæ meningis ſinus ſeu medias cavitates adducunt, quorum rationes in compendium redactas vide apud *B. Rolfincium meth. cogn. & cur. aff. part. cap. diſſ. 9.*

Nos, attonitô, hoc eſt homine omnium, quotquot ſunt, partium ſenſus ac ſpontanei motus experte intimius conſideratô, apoplexiæ SUBJECTUM REMOTUM, aliàs denominationis, *totum humanum corpus* aſſerimus, quod in ſtatu ſ. n., ſpiritibus animalibus ex officinâ ſuâ cerebro per nervos liberè influentibus, animalium operationum integritatem præ ſe ferens; in ſtatu autem p.n., illis quacunque ex causâ in hoc deficientibus, earundem diminutionem aut abolitionem ſentiens, cauſam & locum affectum digito veluti monſtrat. Ex quibus haud difficulter colligitur attoniti morbi eſſentialis PROPINQVUM & ADÆQVATUM SUBJECTUM eſſe *cerebrum*, PROXIMUM verò & PRINCIPALE *principium nervorum* diſpenſationis, quod Anatomici, *Th. Bartholinus*, *Diemerbroeck*, aliique communiter in oblongatâ cerebri medullâ, ejuſque poris collocant.

CAPUT III.

Cauſam immediatam & mediatas proximiores recenſet.

ANimam per ſe impatibilem, corporis humani gubernatricem, ad ſenſum & motum præſente objectô perficiendum, præter organa cuilibet actioni propria, ſpiritus animales, continuâ agitatione activos, principaliter requirere, partim ex ſuperiori capite liquet, partim ex fundamento quoque, firmis rationibus atque experimentis ſuffulto, Magnificus *Dn. D. Præſes*, Præceptor ac Patronus maximus, comprobavit in *Phyſiolog. ſect. IV. cap. 1. & 8.* Quare in Apoplexia iſtiusmodi actionum abolitionis CAUSA PRO-

XIMA non ineptè πνευματοστασία, seu ſpirituum animalium irradiatio & influxus prohibitus in nervorum principium eſſe ſtatuitur, quem non particularis & paralytica, ſed univerſalis ad agendum impotentia ſequitur. Si enim alicubi conſtiterit ac interceptus fuerit ſpiritus, inquit *Hippocrates lib. de morbo ſacro, c. VI. t. 26.* impotens redditur illa pars, ubi conſtiterit.

Habent ſe ſpiritus hi ad inſtar lucis ſubtiliſſimæ, cujus radii ad animæ imperantis nutum ſus & de, ultrò citroque feruntur, per poros ſuos vecti liquore nectareo lymphatico; ſimul ac verò intercipitur hæc via, obice ſufficienti poſito, velut motore ablato. quieſcunt omnia membra reliqua, concidunt pori cerebri, nulla amplius obeuntur animalia munia, nulla προαίρεσις ad motum impellit, & ſi impelleret, fruſtra id fieret.

Id verò muneris cum ſanguini non immediatè competat, ut alia taceamus, ſtatio illa ſanguinis Hippocratica non æque habet locum vel ſatisfacit, & ſyncopen magis quàm apoplexiam efficit. Et licet ea quoque ſuo modulo concurrere poſſit ad eam inducendam, magis tamen mediatè id præſtat, non minus ac ſerum ipſum moveri deſinens, poroſque obſtruens. Non hìc motus primus cordis aufertur, ſed ſecundus, à cerebro & ſpiritibus animalibus reſultans, unde & pulſus non ita immutatur. Quin ſpirituum hæc στάσις ipſius αἱμοστάσεως non rarò cauſa eſt, ipſiusque adeò mortis in graviori ſtatu.

CAUSÆ itaque MEDIATÆ PROXIMIORIS vices obeunt ſine dubio omnia ea, quæ vel ab extra, vel ab intra intercipere ἐπίρρυσιν ſpirituum animalium poſſunt, verbo OBSTRUCTIONES, earumque variæ ſpecies, θλῖψις, στενοχωρία, συνίζησις, *compreſſio, conſtipatio, ſubſidentia,* collapſus, conſtrictio item pororum.

Hi morbi organici abſolvunt & conſtituunt apoplexiæ eſſentiam, & ſine hâc anguſtiâ & obſtructione nulla fit.

Et quamvis plures cauſæ concurrere poſſint, nulla tamen apoplexiam producit, niſi obſtruantur pori principii ſpinalis

me-

medullæ. Utque ab externis, tanquam notioribus, incipiamus id demonstrare, binis saltim id probabimus exemplis, uno vulgari, altero fortuito, & rariori. Prius illud liceat *Senecæ, lib. de providentia*, verbis eloqui, corpora, *inquientis*, opima taurorum exiguo concidunt vulnere, & magnarum virium animalia humanæ manus ictus impellit, tenui ferro commissura cervicis abrumpitur, & cum articulus ille, qui caput & collum committit, incisus est, tanta illa moles corruit. Alterum *Dn. D. Præsidis* nostri observatione nobis constat, qui rusticum vidit solius chartæ è sclopeto improvidâ explosione, ad principium cervicis pertingentis, uno momento interemptum. Videatur quoque *Heer. obs. 21. p. 244. & seq.*

Internæ in *humorosas* & *vaporosas* dividi solent. HUMORES non offendimus in cerebro nisi duos, sanguinem & serum, utrique obstruere poros apti nati, si vitium capiant adæquatè in *quantitate* & *qualitate*, principaliter verò in *motu*.

Sic à plethorâ fit apoplexia, quando copiâ sanguis obstruit, & hoc pacto explicari potest ex legibus circulationis sanguinis ἀπόληψις φλεβῶν Hippocratica. Seri quoque restagnatio & copia major idem præstat, non absurdo illo modo, quo quidam putant lympham in ventriculis cerebri post mortem repertam id præstare, hæc enim ordinariè invenitur, sed quando poris illabitur medullaris substantiæ, nec per excernicula ordinaria exitum invenit. Neque enim catarrhosi ex hâc ratione apoplexiam patiuntur, quà tales, naturâ se liberante ab illis recrementis aquosis.

In qualitate si delinquant hi vitales succi, tantò promptius malum exoritur. Sic spissior sanguis, seroque privus huc facit, unde nonnunquam in febribus quoque ardentibus ἀφωνία sub finem visitur. Sic qui vigiliis torquentur, ordinariè & utplurimum hinc apoplectici moriuntur. Serum verò spissescens, vappescens, acetosius, aliisque atomis impraegnatum cumprimis huic rei aptum natum est. Addi etiam potest meritò spirituum penuria, quâ datâ non pori liberè vegetantur & reciprocam apertionis & occlusionis naturalis vicissitu-

situdinem experiuntur, sed opplentur facilius, unde tremor, memoriæ debilitas, aliaque inferius nominanda præcedun tapoplexiam.

Singula ergò hæc cum spiritibus simul junctim intelligenda sunt ad morbi γένεσιν concurrere. Qualis enim sanguis, quale serum, tales spiritus, & vice versâ.

Pertinet ergò huc quam maximè spirituum & prælaudatorum humorum fixatio ab acido fixiori & acerbo, quod veteres sub melancholiæ notione innuerunt; præcipuè in consortium adscitâ bile, undè hanc causam *Hippocrates* attingit *6. aph. 56.* & præ aliis veneratur, imò plus justò ferè, *Franc. Bayl. tr. de apopl. cap. 7. per tot.* inde enim pessundatis spiritibus, poris occlusis, fixato sanguine malum enascitur.

Humores igitur hi vitiis suis communicatis qualitatem quoque spirituum deturpant, & motum eorum sufflaminant, quod *Fr. Hoffmannus in appendice meth. med.* à specifico fermento apoplectico derivare allaborat.

Opprimuntur verò iidem ab humoribus copiosis, sanguineis, serosis, crassis, viscidis & aliis diversi generis. Hinc non mirum est, apoplexiæ obnoxios esse, qui concretiones polyposas in corde aut alibi possident, eodem coagulo & fermento facilè ad cerebrum deducto, unde & à sanguinis grumo in carotides delapso *Crato consil. 37.*, à pinguedine in sinistro cordis ventriculo repertâ *Thom. Bartholinus centur. 1. epist. 2.* apoplexiam annotarunt; & *Joh. Georg. Greisel. miscell. curios. ann. 1670. obs. 74. p. 179.* in omnibus, quotquot apoplexia aut catarrho suffocativo mortuos aperuit, corpora callosa viscida ac glutinosa aut in corde, aut in cerebro, aut in ambobus aliquandò reperit. Inde etiam patet, cur matrona illa ischuriam per 14. dies passa apoplexiâ tandem enecata fuerit; vid. *Theoph. Boneti Anatom. pract. l. 1. s. 2. obs. 41.* quod ipsum quoque *Dn. D. Præses* noster observavit. Regurgitante enim in massam sanguineam sero recrementitio pori cerebri opplentur, ut lethargus, vel apoplexia succedat.

Per-

Pertinent huc & frigida & ☿alia calorem nativum violenter opprimentia, quâ ex causâ *Matthias Untzerus anat. spagir. ☿ii lib. 1. cap. 10.* Apoplexiam affectum ☿alem appellavit. Modum fixationis ex ⊕lo demonstrare satagit *Willisius patholog. cap. 8.*

Præcipuè ergò MOTU prohibito humorum & spirituum succedit affectus, qui hinc variat, prout vel ex toto omnes caudices medullæ oblongatæ obstructi sunt, vel in principio, fine mediove culpa hæret; sive *generati* sensim sint ibidem humores per συναθροισμὸν, sive *aliunde* adlati, per arterias carotides, non factâ decenti reductione, vel exclusione, de quibus prolixius disseruit *Diemerbrœck. in anat. lib. 3. cap. 10.*

Quiescentibus itaque humoribus velut fluidis corporibus, & poris occlusis τὰ ἐνορμῶντα μόρια spiritus quoque στάσιν acquirunt.

Posthæc turbant spiritus & angustos meatus reddunt VAPORES varii generis, narcotici hinc dicti, & exhalationes v. g. ex opiatis, & calce vivâ, quę Quinto Catulo mortē conciliavit, teste *Valer. Maxim. lib. 9. cap. 12.* Idem tectori cuidam Halis Saxonum contigisse *Mœbius Epit. instit. Lib. 2. part. 7. cap. 6.* refert. Item ex cerevisiâ, & mustô fermentantibus, prunis & carbonibus malè olentibus &c. quorum exempla apud *Marcellum Donatum lib. 2 de hist. med. admir. cap. 6.* & alios practicos passim leguntur. Multis quidem Syncopen potius, quam Apoplexiam ex vaporosis his effluviis exoriri magis arridet; verum ut sæpè id fieri posse facilè concedimus, ita attonitos inde sæpius factos nemo inficias ibit, modò circumstantias & agendi modum altius secum reputet. Nam fuligine suâ spirituum lucem obfuscant, subtilitatem incrassant, motum sufflaminant, & cum paulò diutius perseverant, spiritus suffocant & enecant.

Adjuvant hanc causarum morbificarum vim & impetum subjecti ipsius aptitudo, intemperies cerebri cumprimis frigida & humida, frigida & sicca, causarum aliarum, de quibus mox, ἐνέργεια & alia.

Quâ verò ratione humorum collectio sanguinis, cerebri

& vaſorum vitiis fiat, ſub penitiorem conſiderationem traxit ſupra laudatus *Wepferus lib. de Apoplexia*, qui, cum nos brevitati ſtudeamus, conſuli poteſt.

Caput IV.

Cauſas mediatas remotiores abſolvit.

LUcem dicta acquirunt ex reliquis cauſarum generibus illis omnibus, quæ fixationem ſpirituum, quæ obſtructionem pororum fœnerari norunt, huc pertinentibus.

Ex causis mediatis remotioribus primas tenet supernaturalis, quæ, cum omnipotentis Dei permiſſionem & directionem præſupponat, nulli dubitamus, quin ad hunc ſpirituum morbum producendum concurrere quoque ſoleat.

Ab hâc progredimur ad naturales, ubi temperamentum frigidum & humidum multum diſponit, quod & ſpirituum penuriæ & humorum coagulo magis ſit ſubjectum. Frigidum & ſiccum quoque ſeu melancholicum huc facit, teſte *Coo 6. aph. 56.* Nec plethorici à malo hoc immunes ſunt adeò, ut *Cortnummus*, ſanguinem ex ore & naribus apoplecticorum nonnunquam prorumpentem cum *Felice Platero observ. med. l. 1. p. 14.* adſpiciens, plurimos plethora laborare ſibi perſuadeat; quod ipſum tamen ſimul ſanguinis reſtagnationem in ſupremâ arce præcipuè innuit.

Utrum mares an fœminas inſultus apoplectici frequentius invadant, practicorum obſervationes vix ullum delectum hactenus tradiderunt.

Ex ætatibus maximè ſenilis malo huic obnoxia, ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum vel ultra, definitore *divino Sene 6. aph. 57.* Valet id, ut alia quoque, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quandoque enim, licet extraordinariè, videas & juvenes eodem corripi affectu. Scholaris XVIII. annorum apoplexiâ correptus

ptus per integrum annum hinc ſtupore & ἀναυδίᾳ laborabat, muſicæ, cujus peritus ſimul fuerat, non minus ac aliorum oblitus, curatus à *Dn.D.Præſide* bellè jam valet.

Plurimum etiam confert hæreditaria diſpoſitio, ſi quis ex familiâ apoplecticâ pronatus ſit, cujus rei ratio in principiis vitalibus latet, charactere conſimili in ſemen derivato ex ſero corporis.

Habitus corporis ille potiſſimum accuſandus, qui craſſior eſt, unde & qui collo breviori & toroſo ſunt, à *Williſio l.c.* in apoplexiam procliviores judicantur.

Si ASTRA intueamur, ☽æ & ♄no tantum non omnis ad apoplexiam diſponendi virtus adſcribitur, conſenſu *B.Rolfincii O.& M. comment. l. 2. ſect. 3. cap. 17. & G. Mœbii epit. Inſtit. l. 2. part. 3. cap. 12.* Multum tamen & Mercurio debetur.

Ex NON NATURALIBUS primum ſe prodit AER frigidior atque ſiccior, qualis eſt hyemalis *3. aphor. 23.* & quandoque humidior, qui tranſpirationem inſenſilem poros conſtringendo impedit, & corpus ad functiones ſuas obeundas ineptum efficit. Quantum verò ἄδηλος διαπνοὴ ad στάσιν humorum & decubitum, ad vappeſcentiam item faciat, noto eſt notius. Sereniſſima perſona in ſenio conſtituta, aëri frigidiori & ſubterraneo expoſita, brevi poſt inſultum paſſa eſt apoplecticum, quod itidem obſervationi laudati *Dn. D. Præſidis* debemus. Hinc aerem impermeabilem accuſat *Scharandæus l. de rat. conſ. ſan. cap. 4. p. 42.* Non ſolum nempe ad pulmones & vitalia ſpiracula fertur aër inſpiratu hauſtus, ſed ad ipſum quoque cerebrum, hinc occluſis per coryzam graviorem poris, nec exitu æque patente, vertigo, ſtuporque attonitus ſuccedit non rarò. Hinc & aër impurus jam memoratus, v. g. à calce vivâ recens illitis conclavibus maximè lædit cerebrum & nervoſum genus.

Par ratio eſt regionum frigidiorum, quâ occaſione citandus venit locus *Mercurialis*, qui *conſil. 38. p. 161.* apoplexiam Germanis epidemiam vel potius endemiam eſſe ſcribit, ratione deſumptâ 1. à regionis frigiditate, quæ hyemem *Hippocrati* celebra

lebratam *l. c.* suppleat; 2. à Germanorum consuetudine vivendi, & 3. laconicorum frequenti & inordinato usu. Neque tamen adeò frequens est iisdem affectus, ut endemii nomen mereatur, neque, quæ solennis Italorum est cavillatio, continuò Cereri & Baccho litant.

Post aërem apoplexiæ conceptionem promovent nimia VORACITAS & copiosa vini & cerevisiæ, inprimis lolio aliisque vaporosis fœtæ, ut & spiritus vini INGURGITATIO, quatenus sanguinis copiam raro quidem, sæpius verò humorum cruditatem mirum in modum adaugent, quibus helluones tales ac in potando Hectores, gulæ pro lubitu indulgentes, sensim sensimq; dispositionem sibi comparant, & comparatam fovent, donec tandem malo derepentè correpti tristem eventum cum detrimento suo persentiscant. Hinc meritò etiam apoplexia ebriositatis pedissequa est, ut qui sæpius, æmulati velut morbum, stuporem talismodi spontaneum sibi conciliarunt, per eundem quoque puniantur.

Tacemus medicamenta vaporosa, sulphure narcotico pollentia, non parum ad mali originem conferre. Sic, præter citata, absinthium quoque huc spectat, unde observavit *Goclenius in experim.* qui vinum absinthites crebrius usurparunt juvenes, concitasse sibi apoplexiam. Sic & immoderatum acidularum usum apoplexiam excitasse *Franciscus Hildesheim. spicilegio 6. p. 526.* memoriæ prodidit.

Conspirant huc insuper enormes corporis MOTUS & VIGILIÆ spiritus dissipando; naturalem verò calorem obtundendo dissolutum OTIUM, seu torpor quiete & vitâ sedentariâ inductus, ac SOMNUS, in eoque decubitus supinus, ubi sanguis cum sero in caput nimis demissum suffusus cerebrum ob difficiliorem refluxum gravat, & somnolentia, gravedine ac torpore capitis producto ipsius apoplexiæ autor facillimè evadit, quod *Richard. Lowerus tr. de corde c. 2. p. 152. & seq.* nervosè declarat.

ANIMI PATHEMATA ob varias alterationes spiritus & sanguinem de statu suo naturali dejiciunt, quod matrona illa

illa ex moerore, animique subitâ perturbatione extincta proprio exemplo testatur apud *Gv. Fabr. Hildanum cent.6. obs. 12.* Sic senex literatus, acceptô tristi de filio absenti nunciô, territus eodem vespere apoplexiâ lethali corripiebatur, teste *Dn. D. Præside* nostro.

In eundem censum veniunt EXCRETORUM vitia, si retineantur excernenda,& retinenda excernantur. Hujus rei testimonium qui desiderat,evolvat *Johan.Schenckii observ.med. lib. 1.* ubi sideratio à flatibus legi potest, cujus generationis modum *Hipp. lib. de flatib. Cap. 19. t. 4.* delineavit.

Ejusdem dignitatis exempla à consuetæ hæmorrhagiæ narium suppressione *Hildanus cent. 3. obs. 11.* à lochiis non ritè purgatis *Nic. Fontanus respons. & curat. med. l. 1.* & à ♀is abusu *Henr. ab Heer. observ. 9. pag. 139.* introducta recensent. Ex *Hildani obs. 96. cent. 6.* balneum intempestivè institutum quendam in eundem morbum præcipitasse constat.

Agmen causarum claudunt AFFECTUS P. N., quorum, præter intemperiem frigidam & humidam, principaliores sunt morbi melancholici, qui factâ humorum metastasi ad nervos, *Hippocratis l.c.* elogio, in apoplexiam terminantur; item capitis &cerebri concussiones,quibus spirituum & sanguinis motu læso vasorum obstructiones succedunt.Sic ex contusione cerebri *Georg. Horstius lib. 2. de morb. capit. obs. med. rar. 13.* ex colapho *Hildanus cent. 6. obs. 11.* ex casu ab alto *Felix Platerus l.c.* exempla commemorant. Notatu etiam digna est *obs. 58. ann. 1. ephemer. nat. curios. p. 156.* de apoplexia ex scabie retropulsâ, & illa, quam ex tumore in capite ablato ortam *Thomas Bartholinus in obs. cent. 4. hist. 86.* describit.

Quidam apoplexiam ex vermibus subortam etiam afferunt, qualem observationem refert *Zacutus Lusitanus Prax. admir. l. 2. obs. 42.* ast ille syncopen cum apoplexiâ confundere videtur, quod historiæ ipsius circumstantiæ evincunt.

Plura exempla alia à cerebri subsidentiâ, vulneribus, sanguine extravasatô, materiâ pituitosâ, abscessu serosô, hydatidibus, epilepsiâ, cephalalgiâ, vertigine, polypo cordis, ischu-

Ischuriâ, fulmine &c. originem ducentia *Theoph. Bonetus in anat. pract. lib. 1. sect. 2.* collegit.

Caput V.

Differentias format.

Ratione ordinis Differentias quoque tangamus necesse est. Variæ autem à vario considerandi modo adduci solent. *Willisius l. c.* omnem apoplexiam dividit in *habitualem* à diathesi præviâ, & *accidentalem* absque tali dispositione ortam; in *universalem* & *particularem*; in *innatam* & *acquisitam*; aliam denique à *cerebro*, & aliam à *cerebello* accersit.

Verùm rectius in *essentialem* & *accidentalem* dirimitur, sub quibus omnes subdivisiones continentur.

Essentialis desumitur ab ipsa morbi essentia, quam genus, subjectum & causa largiuntur.

A Genere alia dicitur *debilis* vel *imperfecta*, in quâ ægri sensu quidem orbati apoplecticorum more concidunt, & aliquando insimul stertunt, citra tamen omnimodam motus ablationem, citra ullam partium convulsionem, aut succedaneam paralysin. Talem post *Danielem Sennertum*, *B. Rolfincius l. c.* observavit, & aphoniæ, affectus inter apoplexiam & epilepsiam medii, titulo insignivit; de quo videatur etiam *Spigelius tract. de Semitert. lib. 2. cap. 16.* Alia *fortis* & *perfecta* cum stertore & universali actionum animalium sufflaminatione conjuncta, quæ in alterius lateris paralysin definit. Alia fortissima, ubi nullus stertor, reliqua autem symptomata adsunt, pulsus & respiratio ad sensum abolentur, quæ difficillimæ curationis est, & à *Cortnummo lib. de Morb. atton. cap. 34.* ad syncopen cardiacam refertur.

Ratione Subjecti distinguitur in essentialem seu *idiopathicam*, ubi spiritus animales ac cerebrum circa basin essentialiter & primario afficiuntur; & in accidentalem seu *sympathicam*, quæ contrario modo exoritur.

Respectu CAUSARUM alia est à causa *externa*, alià ab *interna*, alia à sanguine bono, alia à pituitoso &c; unde *Marcus Gatinaria in prax. med. c. 8.* aliam sanguineam, aliam phlegmaticam cognominavit; atque adeò quot supra causas dedimus, tot etiam differentias exinde elicere possumus.

Accidentalem subministrant ipsa accidentia, secundum quæ alia respectu invasionis *lenta*, alia *subita*; alia *primaria*, alia *recidiva*; alia *rarior*, alia *frequentior*; à temporis duratione alia *brevior*, alia *longior* dici meretur.

Respectu SYMPTOMATUM alia fit cum vomitu, alia cum sphincteris ani resolutione, alia cum alio symptomate.

CAPUT VI.

Signa ex propriis fontibus in diagnostica & prognostica distinguit.

PRæmissis, quæ ad apoplexiæ essentiam, causas ac differentias cognoscendas requiruntur, nunc ea, quæ singula hæcce patefaciunt, seorsim adhuc evolvenda restant.

Sunt autem hæc nihil aliud, quam SIGNA DIAGNOSTICA, quæ vel præcedunt, vel comitantur ac consequuntur, & PROGNOSTICA postmodum examinanda.

Varios morbus attonitus, si subitò non ingruat, quod nonnunquam fieri assolet, prodromos velut suos præmittit. Hinc, ob spiritus præsertim labascentes, præcedunt capitis dolores, gravitates, nutationes, subitanea linguæ impotentia, *Hipp. 6. aph. 51.* oculorum caligo, igneæ coruscationes, aurium sonitus, tinnitus, arthritis, artuum formicatio, lassitudo, tremor, totius corporis palpitatio seu vibratio, torpor, verbo sensuum hebetudo. *Hipp. coac. prænot. sect. 2. t. 6.* Oblivionem sine febre derepentè exortam apoplexiæ prænunciam fuisse meminit *G. Mœbius in Instit. l. 3. p. 3. cap. 3.* Sic & vertigo, incubus lethargus, stridor dentium in somno huc faciunt, vid.

Frid. Decker. in notis ad cap. 2. lib. 1. prax. Barbette, quibus torturam oris *Forestus l. 10. obs. 124.* annumerat. Extrema frigescere, memoria & judicium vacillare incipiunt, interdum aqua ex oculis suâ sponte profluit, quæ omnia sine causa manifesta contingentia paroxysmum apoplecticum prænunciant.

Concomitantur & consequuntur signa diagnostica pathognomonica, à morbi natura inseparabilia, quæ ipsius præsentiam manifestant, & in duobus his, functionum animalium interceptione & repentino lapsu, includuntur. Nam, spiritibus à munere suo magis cessantibus, totum corpus subitò corruit immobile, insensile, & oculis clausis, ad instar dormientis, aut palpebris suspensis mortuo admodum simile, quod, quicquid etiam sensoriis admoveatur, nec percipit, nec sentit; partes laxæ & molles sunt, ac elevatæ ilicò iterum concidunt, loquela intercipitur. Pulsus verò & color faciei, cæterorumque membrorum, à naturali statu, nisi ad extremum res pervenerit, parum differunt.

Conjungitur stertor à musculorum læsione & viarum angustia dependens, qui affectui huic præcipuè competit, & proprius vulgò audit. In quibusdam vomitus aut suspiria etiam adsunt. In graviori casu spuma ante os apparet.

Gradus apoplexiæ pulsus & respiratio determinant, quæ ad sensum abolita Medicum ægrotantis vitam superstitem, quod in syncopticis aliàs usu venire solet, speculo, lanâ, plumâ aut candelâ explorare commonefacit, ne in prognosi & cura se præcipitet.

Cognati huic affectui sunt sequentes, à quibus hinc distinguendus est. *Lethargus* in somnolentiâ consistens febrim habet conjunctam. *Carus* lento pede incedit, cum profundiore somno instat, nec ægrotum sensu & motu penitus privat. *Catalepsis* rigidum corpus exhibet. *Ecstasis* melancholica consimilium causarum effectus est, respirationis & pulsus obscuratione conspicuus.

Epilepsia motibus convulsivis differt. *Hysterica suffocatio* originem ex utero trahit, naturalem corporis colorem trans-

transmutat, & pulsum magis inhibet, sentientem verò facultatem & moventem respectivè minus lædit.

Syncope respirationem & pulsum occulit, os atque manus claudit, frigidum sudorem in toto corpore expellit & pallidâ vel cadaverosâ facie dignoscitur.

Catarrhus suffocativus relictô motu & sensu respirationi negotium magis facessit, & cum impetu decumbens subitò suffocat. Quæ omnia de apoplexia dici nequeunt. Plura hanc in rem vid. apud *Langium l. 1. epist. 25.*

Simulata apoplexia quomodo deprehendatur, *Paulus Zachias quæst. medico-legal. l. 3. tit. 2. quæst. 6.* demonstrat.

PARTEM AFFECTAM significant actiones læsæ animales, quæ omnes digitum ad caput quasi reflectunt. Hoc utrum per essentiam, an ex consensu, item quoad principium, medium, vel finem caudicis medullaris laboret, causæ prægressæ externæ & internæ, quid? quod symptomata ipsa planum faciunt.

Ratione CAUSARUM, externæ per se magis evidentes ab adstantibus referuntur, internæ verò tum à priori, temperamento, ætate, vitæ genere, dispositione hæreditariâ, usu sex rerum nonnaturalium; tum à posteriori & effectu, variis nempè alterationibus ac læsionibus cognoscuntur.

PROGNOSTICA SIGNA futurum morbi eventum prædicunt vel salutarem, vel lethalem.

Ratione GENERIS affectus quidem est acutus, qui celeriter terminatur cum periculo, adeoque nunquam floccipendendus; cum autem non semper unum eundemque gradum servet, omninò quoad prognosin diversimodè etiam variat.

Sic debilis & minus periculosa censetur, in qua respiratio libera, pulsus & faciei color à naturali nihil vel parum dissimilis supersunt. Majorem è diverso vehementiam & periculum portendunt ronchus, spuma ex nativâ pulmonum humiditate ad labia ebulliens, pulsus tardus & debilis, resolutio sphincteris ani & vesicæ, vomitus à naturæ debilitate productus & insultus secundâ aut tertiâ vice repetens. Tremorem *Mœbius l. c.* dijudicat malum.

 Ma-

Maximum periculum indicant ſigna potiſſimum lethalia, pulſus & reſpiratio ad ſenſum abolita, facies cadaveroſa, & ſudor frigidus ultimus naturæ ſuccumbentis effectus, his præſentibus ægri citra ſtertorem & ſpumam ante os ſæpè extinguuntur. Hæc nullam, illa difficiliorem, iſta aliqualem curam admittunt; apoplexiam enim fortem diſcutere impoſſibile eſt, debilem verò non facilè, verba ſunt *Coi 2. aph.42.*

Neque tamen ex ſolius pulſus bonitate, vel reſpirationis ſolius quoque minori difficultate abſolutè eſt de ſalubri eventu judicandum, ſi nulla in animalibus functionibus ſenſu & motu veſtigia remiſſionis ſe exerant.

Reſpectu SUBJECTI, Apoplexia, quod principaliſſimam corporis partem occupet, omnis periculoſa eſt, periculoſior autem, quæ cerebrum per eſſentiam affectum habet, & ſenes vel alios naturâ debiles, aut morbis extenuatos affligit: melioris verò ſpei eſt, quando cerebrum per conſenſum laborat, aut juvenes & viribus adhuc integri illâ tentantur.

Ratione CAUSARUM in genere contumaciores difficiliorem, mitiores faciliorem reddunt curationem, quarum differentia ex ſymptomatibus pateſcit.

Ex his graviorem apoplexiam hæreditaria cauſa, debiliorem adſcititia generat. Sic incurabilis creditur illa, quæ epilepſiæ ſuperveniens naturam ante oppreſſam magis opprimit.

In paroxyſmo poſt venæſectionem levamen futuræ ſalutis ſpem præbet, quod de aliis quoque juvantibus valet.

Quà TEMPORIS DURATIONEM apoplexia brevi ægrotum interimit, aut, quà talis, ſubitò remittit. Nulla enim diu durat, cum ſubſiſtere machina absque hoc ſecundo motore ſpiritu animali diu nequeat.

MODUS EVENTUS variat pro cauſarum & vehementiæ gradu. Triplex tamen ferè eſſe conſuevit; aut enim perfectè deſinit, quod in aphoniâ, ſeu primâ ſpecie, primo gradu fit; aut ad mortem plenis velis ruit, ſi fruſtra inſumptis omnibus natura ſuccumbat, nec ſpiritus in ordinem redigi queant

pristi-

pristinum; aut denique per *διαδοχὴν* in alterum seu oppositum latus eructatô mali fomite, ob decussationem nervorum, in ejusdem paralysin desinit, qui medius est modus, imperfecta solutio, materiâ obstruente non ablatâ, sed ad inferiora magis detrusâ, præstanda tamen successivè, prout circumstantiæ variant, vel *συναποθνήσκων*, si præsertim paroxysmus, uti sæpè fit, recidivet serius ocyus. Sic paralysin dextri lateris *August. Thonerus l. 2. obs. med. 3. & 4.*, & *Joh. Petrus Lotichius l. 2. cap. 1. obs. med. 8.* notarunt, idemque toto die accidit.

Limitant quoque hæc alia *ἐπιγινόμενα*. Sic periculum auferunt, ex *Hippocratis* mente, *coac. prænot. c. 3. t. 318.* hæmorrhoidum fluxus, & *6. aph. 51.* febris fortis debili apoplexiæ superveniens, quorum hæc pituitosam materiam resolvit & dissipat, ille sanguinem à capite revellit & eliminat.

Idem præstat ptyalismus, quatenus humorem peccantem per continuam exspuitionem rejicit, rarius autem contingit.

CAPUT VII.

Curationem in paroxysmo aggreditur.

EXploratâ morbi per signa sua specie, Medicus dogmaticus ad MEDENDI METHODUM rectâ progreditur, tribus indicationibus, ceu statuis mercurialibus, innixam: curatoriâ, præservatoriâ & vitali.

CURATORIA affectum ipsum cum symptomatibus suis curandum suscipit, & quidem in vel extra paroxysmum.

In paroxysmo, ægrô aliquâ ex parte erectô capite, respirationis facilitandæ gratia, locatô, spiritus torpidiores & fixati excitandi, & in pristinum motum restituendi, vasa autem cum poris cerebri reseranda sunt.

His ex triplici præsidiorum fonte primum satisfaciunt CHIRURGICA, ex quibus moderatæ corporis concussiones

& extremorum potissimum circa plantas pedum FRICTIONES commendantur, quæ cum linteis calefactis, ⊖e, ♁to vel ▽ apoplectica &c. simul adhibitis perficiuntur. Barbæ etiam pilorum vellicatio cum *Heerio* institui potest, reliquæ verò irritationes per puncturas cum aciculâ, & fortiores ligaturas, nisi cautè fiant, plus nocumenti, quàm auxilii inferunt.

CUCURBITULÆ siccæ admotæ præsentissimum sunt remedium. Affiguntur cruribus, brachiis, scapulis, nuchæ, ipsiq; capitis vertici, non autem abdominis & respirationi inservientibus musculis, ne respirationis difficultas augeatur. Videri de hôc præsidiô bregmati applicatô meretur experimentum *Fracastorii in vitâ*, qui, virgine moniali quondam hôc curatâ, in agone jam constitutus idem vertici applicandum manu indicavit, re autem à domesticis non intellectâ, expiravit. Idem quoque commendat *L. Riverius prax. med. lib. 1. cap. 2.* Et felici cum successu *Magnif. Dn. D. Præses* ferro candente occluso caput chartâ interpositâ lævigari jussit, qui & venæ sectione sub linguâ administratâ ἀναυδίαν seu loquelæ impotentiam aliquoties curavit.

Feliciter enim remorantem & opplentem causam humorosam expedit VENÆSECTIO. Et licet *Barbette* in *praxi suâ lib. 1. cap. 2.* raro admittat eandem; locum tamen invenit, imò necessaria est, præsertim in principio, ubi materia in motu adhuc est, in plethoricis & sanguinis στάσει, nisi virium resolutio, ætas senilis aut extremus apoplexiæ gradus obstent.

Administrari potest commodè in brachio, & sanguis emitti pro modulô plethoræ, virium, ætatis, consuetudinis ad uncias duas, tres vel quatuor, ne quid nimis tamen, unde & copiosior consultius partitis vicibus, quàm simul & semel extrahitur. Exempla apoplexiæ venæsectione curatæ exhibet *Zacutus Lusitanus de medicor. princip. historia lib. 1. obs. 31.* & *prax. historiar. lib. 1. cap. 7.* Ita his diebus ancilla vapore musti in cellâ haustô attonita concidens præsentaneum auxilium sensit, venâ medianâ sectâ, & volatili cephalico propinato.

Præsente mensium vel hæmorrhoidum suppressione, pri-

primum vena pedis, & si necessitas id postulet, postmodum etiam brachii aperiatur.

HIRUDINES, quas nonnulli venæsectioni in pueris & mulieribus gravidis præferunt, si præparatæ ad manus sint, dorsi & brachii venis majoribus admoveri possunt,

Huc VESICATORIA quoque à quibusdam trahuntur, & quò citius operentur, singularem modum ea applicandi descripsit *Henr. ab Heer. obs. 21.*

Hæc ad unum omnia sanguinem & humores ad nervos affluentes in motu suo remorantur, derivant, quantitate & qualitate peccantes evacuant, ventilant, & naturam gravatam potenter sublevant.

Medicamenta, quæ PHARMACIA in usum medicum asservat, summatim laudabimus PURGANTIA & ALTERANTIA. Cum verò maxima difficultas curationis ex assumendi impotentiâ vel difficultate oriatur, solenne est, præter V. S. applicare CLYSTERES. Hi ob egregiam revellendi virtutem ante & post venæsectionem maximo cum fructu usurpantur. Componuntur ex emollientibus, purgantibus, cephalicis & quidem paulò fortioribus, ut eò magis excitetur archeus.

℞. *rad. alth. fœnicul. pæon.* a. ℥ß.
herb. malv. beton. origan. major. salv. a. mj.
fl. beton. chamomill. Rom. stœchad. ar. a. pij.
fol. sen. s. s. ℥ß. *mechoac. alb.* ʒij.
sem. cartham. ʒj. *aneth. pæon.* a. ʒiß.
castor. croc. metall. in pet. ligat. a. ℈j.
Coq. in s. q. ▽. *simpl.* ℞. colat. ℔j.
ol. rut. laurin. mel. anthosat. a. ʒvj.
elect. benedict. laxat. ʒiij. *vitell. ov.* nj.
M. F. L. a. Clyster. D. cum pertinent.

Nota, quod si clysteres non iterum egerantur, sensu archei magis obtuso, suppositoriis, seu, quod strategema B. *Mœbii* fuit, cataplasmate ex speciebus clysteris residuis ad justam consistentiam coctis optimè promoventur.

Sin per os adapertum interius quædam propinandi facultas

tas concedatur, referri huc magis activa potissimum merentur. Talia cum inprimis sint VOMITORIA, de iis, utrum hîc adhibenda sint nec ne, litigari solet in scholis medicis. Nos pace aliorum nulli dubitamus, quin illa concurrente ventriculi vitio, in leviori apoplexia, ubi deglutitio ac respiratio minus læditur, utique prosint. Nam ob consensum ventriculi cum cerebro & totius corporis commotionem, sopitam facultatem animalem exsuscitant, obstructiones expediunt, & causam ipsam extirpant; præcipuè cum ex observatione *Dn.D.Præsidis* & natura ipsa non semel spontaneo vomitu excussâ minerâ morbificâ se liberare visa fuerit, & dato emetico restituti apoplectici hujus commatis. Hujus opinionis patrocinium cum pluribus aliis suscipit *Langius in Miscell. curios. cap. 5.* ubi præ omnibus ⊖ ⊕li extollit, cui ♀ *emet. oxysacchar. emet. Ludovici correctum, sir. de peto s. & compos. Quercet. infus. vitr.* ℥ii, *croci metall. fol. asar.* cum vino vel aliis paria faciunt. *Lazar. Riverius prax. med. lib. 1. cap. 2.* laudat ▽ *benedict. ex croc. metall.*

℞. ▽ *beton. ceras. nigr.* a. ℥j. *cinamom.* ʒj.
⊖ ⊕*li* ℈j. ♀ *emet.* g̃j. *sir. de peto* ʒiij.
M. F. Haustus. S. Brech-Tränclein.

Commendantur etiam à nonnullis PURGANTIA ipsa, quod durante diutius & moram concedente paroxysmo, quando inprimis spes affulget aliqua salutis, & natura vires colligere incipit, aliquando concedi potest. Conveniunt autem magis in formâ humidâ, quam siccâ, quare potiones, infusa & decocta parari possunt ex penu purgantium selectiorum, pilulæ verò minus tunc conveniunt. Laudamus hunc in finem parata ex *fol. sen. Alex. s. s. gialap. mechoac. rhabarb. Alex. agar. fibr. hellebor. nigr. polypod. epithym. extr. gialap. rhabarb. scammon. manna in morsulis, spec. diaturb. cum rhabarb. diacartham., sir. de cichor. cum rhabarb. ros. solut. oxymel. helleborat.* &c. His addi possunt cephalica & specifica. v. g.

℞. *fol. sen. s. s.* ℥ß. *rhabarb. Al.* ʒij. *agar. trochisc.* ℈j.
fl. beton. stœchad. ar. a. pj. *anthos, primul. ver.* a. pij.

schœ-

schœnanth. *cinam.* a. ʒß.
coq. in f. q. ▽ *simpl.*
℞. colat. ℥iij. *elater.* g̃iv. ⁓ *castor.* ℈ß.
sir. pæon. de cichor. c. rhabarb. a. ʒiij.
M. F. l. a. Potio. S. Purgier Tränckleín.

His & similibus humores cacochymici viscidi, serosi, acidi & biliosi à capite avocantur, & à sanguine separati per alvum excernuntur, imò spiritus ipsi torpidiores intestinorum vellicatione excitari & ad influxum invitari queunt.

Præter hæc universalia commodè in usum trahuntur quoque PARTICULARIA EVACUANTIA, qualia sunt STERNUTATORIA, quæ humores in capite stagnantes fundunt, per narium membranas irritando eliciunt & archéum excitant, licet *Gvil. Ballonius epidem. l. 1. p. 6.* in materiæ cruditate eadem proscribat. Parari possunt ex *helleb. alb. pyrethr. ir. Flor. majoran. nicotian. fl. lil. convall. euphorb. piper. castor. ambr. mosch. spec. diamajoran. diatabac. Myns.*

℞. *spec. diamajoran. fl. lil. convall. exsicc.* a. ℈j.
helleb. alb. euphorb. castor. a. g̃iv.
ambr. mosch. a. g. ij. M. F. pulvis. S. Niese-Pulver in die Nase zu blasen.

Sic & MASTICATORIA & his affinia prosunt, quatenus linguam & palatum extergunt, poros reserant & spirituosis volatilibus particulis suis caput & spiritus roborant. Hinc ▽ *apoplect. essent. caryophyll. composita,* ⁓ *theriacal. castor. confect. anacardina, sinapi, pyrethro, pipere albo, castor. caryophyllis, cubebis* roborata, infusa vel linguæ affricta officium faciunt.

ALTERANTIA spiritus refocillant, partes solantur, materiam obstruentem incidunt, attenuant, & dissipant. Potiora ex *Joh. Georg. Macasii promptuar. mater. med. lib. 2. sect. 9. cap. 1. & sect. 13. cap. 23* peti possunt. Omnibus ferè subjectis accomoda sunt hæc:

℞. ▽ *apopl. Dn. D. Præs.* ℥j. *ceras. nigr. beton.* a. ℥ij.
⁓ *Ol. cephal.* ʒij. *sir. de stœchad.* ʒß.
M. F. Potio. S. Hauptstärckendes Wasser / Löffel weiß zugebrauchen.

℞. R*æ bezoard. Mich.* ʒj. ~ Ⓞ*li cephal. ess. castor.* a. ℈j.
Misc. D. in vitr. S. Haupt mixtur.

℞. *essent. succin. castor.* ~ ⊖ *ci a. ℈j.
elix. cephal. ʒj. M. D. in vitro. S. ut supra.

Sic etiam *liquor cephal. Dn. D. Præs.* ~ ⊖ *ci, cran. human.* Ⓞ*latus Simon. Pauli in quadripartit. botan. pag. 366.* ~ *fuliginis* ab *Hartmanno* & aliis laudatus, aliaque volatilia huc pertinent.

Exterius suffitus, odoramenta, balsama apoplectica & topica alia conducunt. Hæc quippe partium exhalantium tenuitate poros reserant, spiritus in paroxysmo quietos alliciunt, & pro ratione ingredientium reficiunt.

Suffitus tamen actuali fumo constantes magis sæpè gravant caput, unde præservandi fine magis conducunt, vel cautius adhibendi.

Naribus pro odoramento *ruta, pulegium, castoreum*, aut linteum ♃to cephalico, sive ▽ *apoplectica* madefactum, halitus ⊖ *ci per vices lixivio injecti, vel ipse spiritus ejus urinosus providè admoveantur.

℞. ▽ *apopl.* ℥ß. ~ ⊖ *ci castorin. ebor.* a. ʒj.
ess. anth. castor. a. ℈ß. ☍ *succin. spicæ, rut.* a. gt. iij.
M. S. Eiferliche mixtur.

Verticis & temporum regioni, pulsibus, naribus, nuchæ & spinæ dorsi inungantur balsama apoplectica, vel linimenta & unguenta nervina ex balsamicis, spirituosis & volatilibus, aliisque minus activis & temperatioribus combinata, quæ suavi & subtili ἀναθυμιάσει suâ calidâ spiritus & corpus recreant, ϛάσιν humorum tollunt & oleosâ ac balsamicâ virtute illorum vitiosam qualitatem corrigunt, præprimis si partibus illita sacculis calefactis foveantur.

℞. *ol. n. m. expr.* ʒij. *anthos, cinam.* a. gt. viij.
succin. rut. a. ℈ß. *lign. rhod.* gt. vj.
mosch. zibeth. a. gij. M. D. in pyxid. S. Schlagbalsam.

℞. *ungu. martiat. nervin.* a. ℥ß.
axung. castor. ʒß. *ol. laurin. petrol.* a. ʒj.

☍ *salv.*

☉ *salv. succin. rut.* a. gt.vj.
℥ *formicar.* ʒij. M. D. in fict.
S. Glieder-Sälblein.

Plura hanc in rem legi possunt apud *Senn. in prax. l. c.* & *Rolfinc. O. & M. com. lib. 7. sect. 1.* aliosque practicos.

Curandum tamen est, ut singula circumspectè adhibeantur, habito nempè respectu causarum, quas ex superioribus repetere pagellarum harum angustia vetat, & ipsius ægri dispositionis, quam ex signorum fonte Medicus cognoscat.

CAPUT IIX.

Curationem extra paroxysmum subjungit.

CUratio extraparoxysmum debetur causis & viribus, quapropter duabus PRÆSERVATORIA & VITALI indicationibus absolvitur.

Causæ ergò & removendæ & corrigendæ invigilandum. Removenda cumprimis quoad peccantes humores per universalia & ordinaria præsidia; corrigenda & alteranda per alterantia specifica cephalica & fomiti debita, antiscorbutica, hepatica, hysterica & alia pro re natâ, ne malum potentia tale in actum deducatur, aut semel profligatum viribus denuò recollectis majori cum impetu revertatur.

Hunc in finem ex CHIRURGIA plethoricos præsertim, non tamen aliis exclusis, præservat VENÆSECTIO, &, si quid contraindicet, CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ, in quarum locum HIRUDINES in delicatioribus substitui queunt. Valet hoc inprimis in perfectâ apoplexiæ & integrâ solutione; in iis verò qui jam paroxysmum experti sunt, & hemiplectici nunc redditi, & ubi spiritus potius depauperati sunt, minus locum habet.

Nec FONTICULOS *Willisius loc. alleg.* & SETACEA *Horstius l. 2. obs. 14.* dissvadent. Commoda hæc sunt remedia pro serosis humoribus deplendis, ne locis indebitis sedem inveniant,

vel affectent, unde massæ sanguineæ & spirituum tonus illibatus conservatur.

In assuetis hæmorrhoides reserare, argumento supra laudati *Hippocratis*, consultum est.

E PHARMACIA plurima selectissima depromi queunt præsidia. Ut ordinem consuetum teneamus, LENIENTIA ἐκκοπρωτικὰ saluberrima & necessaria sunt, qui apoplectico tacti fuere fulmine, quod ordinariè alvum segniorem experiantur, & inde accumulentur halitus vitiosi in corpore. Talia confieri possunt ex *pil. aloet.* MP. ♀*ear. infuso rhabarb.*, Râ ♀*ri* &c.

℞. MP. ♀*ear. Quercet. marocost. Mind.* a. ℈ß.
extr. aloes g. xij. *castor. salv.* a. gvj.
resin. scam. g. iv. M. F. l. a.
cum *ess.*♂ *aperit. q. s.* Pilulæ, cum *crem.* ♀ conspergendæ.
S. Lindpillen.

℞. MP. *de succin. Crat. aloetic.* a. ℈ß.
ext. castor. resin. gialap. a. g. vj.
M. *cum* R ♀*i* q. s. F. l. a. Pilulæ. S. u. s.

℞. *rad. pæon. galang. helen.* a. ℥ß.
fol. beton. rosmar. salv. a. mj.
fl. pæon. lavend. anth.
lil. convall. primul. ver. stœchad. ar. a. pij.
sem. anis. coriandr. lign. aloes, sandal. citr. a. ʒj.
cubeb. caryophyll. cost. Arab. a. ℈j.
Concis. contus. M. D. in charta. S. Species zum præparirt Tranck.

℞. *croc.* ♂ *aperitiv.* ♀*at. rad. ari pptæ,*
lap. ♋ *ppt. cinnab. nat.* a. ʒß. ℅ *cinam.* gt. ij.
M. F. Pulv. S. Digestiv Pulver uff 6. mal.

PURGANTIA ab humorum & vaporum vitiosorum saburrâ corpus optimè purgare norunt, præmissis, quæ primas vias eluunt, lenientibus & alterantibus aperitivis & polychrestis, materiæ peccantis qualitati debitis, v. g.

℞. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *scammon.* ♀*at.* gr. iij.
mag. succin. cinnab. nat. a. gr. ij.

cryst.

cryst. ♀. ℥v. *ol. anis.* gt. j.

M. D. in charta. S. Purgierpülverlein.

Qui clysteribus delectantur, ex allegatis speciebus conficiendos curabunt. Si autem vitium in ventriculum redundarit, vomitoria adducta propinare ex usu erit, quò illud ex corpore eliminetur, & laudabile in posterum alimentum præparetur.

SUDORIFERA, cum & absorbeant acetositatem & fixitatem humorum, & in motum cieant subsistentes humores, eosdemque superfluos discutiant, sensibili vel insensibili exhalatione, meritò quoque apoplecticis sunt convenientissima, tum volatilia, tum fixa, genuina velut mali specifica.

Deprædicantur hunc in finem à *Cratone epist. 8.* decoctum *sarsæ parillæ* à *Tabernæmontano pentaphylli & tormentillæ* radices, quæ tamen efficaciâ minori pollent. Præcipua alia sunt ∽ & ⊖ *volat. C. C. ebor. sanguin. human.* ∽ & *flor.* ⊖ ✱*ci, mist. simpl. camphorata,* ℞*a bez. Mich.* remedium etiam in apoplexiâ laudatissimum; ℞*a corall. cum* ∽ *CC. theriac. Andr. & cœlest. Stutgard. pulv. bezoard. Senn., Dn. D. Præs. cinnabarinus,* ⊖ *absinth. centaur. min.* ♁ *diaphor. bezoard. min.* ☽*are, cinnab. nat.*, cumprimis *solaris,* per se & ♎mata &c. quæque inde exurgunt composita, ut

℞. *bezoard. min. corn. cerv. philos.* a. ℈ß.
⊖. *C. C. volat.* ℥. iij. *sambuc.* ℥. vj.
M. S. Schwitzpulver.

℞. ∽ ♀ *compos. theriacal. camphorat.* ʒß.
℞*æ bez. Dn. D. Præs. corall.* a. ʒ j.
M. S. Schwitz mixtur.

DIURETICA, à *Fr. Hoffmanno m. m. lib. 1. cap. 12.* commendata, viscedinem humorum non minus attenuant & extergunt; laudamus inter hæc ∽ *aperit. Penoti, arcan.* ♀, ℞*am* ♁*ii* ♀*satam,* ℞*am* ♀, *essent. succin. clyss.* ♁ ♀ *sat.* ⊖*ia volatilia, flor.* ⊖✱*ci,* ♀ ⊕*lat.* ut alia taceamus.

℞. *malvat. juniper. ess. succin.* a. ʒiß.
M. S. Treibende Mixtur

℞. ⊖ *scord.* ℈ß. *magister. lap.* ♋. *resolub.*

☿ ⊕l. ☽ar. *sem. lycopod.* a. ℈j. ⊖ *succin. volat.* gr. xij.
M. Divid. in 4. æq. part. D. in chart.
S. Harntreibendes Saltz.

Quod si particularium adsint indicationes purgantium, ex supra laudatis medicamentis scopo inservientia huc peti possunt. Commendabile est evporiston illud sternutatorium, ⊕*lum* scilicet *album* in ▽ *majoran.* solutum, quod per syringam in nares injicere præcipit *Sorbait. medicin. univers. part. 1. cap. 3. pag. 214.*

Purgatâ debitô modô à quisquiliis suis œconomiâ naturali, superest, ut ipsi ALTERANTIBUS & CONFORTANTIBUS, quæ INDICATIONEM VITALEM simul absolvunt, opitulemur.

Hæc partes corporis omnes in vigore & tonô suo tuentur, delapsas autem pristino restituunt, præcipuè stomachica, aromatica, pulveres peptici, antiscorbutica, anthypochondriaca, ♂*i* alia, inprimis ℞*a* ♂ *balsamica, mistura antiscorbutica*; cardiaca & maximè cephalica spirituosâ & balsamicâ virtute prædita, ut ▽*æ apoplect. carfuncul. aur. hirundin. lil. convall. elix. vit. Matth. cephal. Rolfinc.* ∼ *C. C. alcis, cerasf. nigr.* ⊖ *✱ci,* ℞*æ corall. ess. ambr. castor. succin. pulv. cephal. Craton. epilept. March.* ℥ *nat. & ℥ii, spec. diamargar. cal. & fr. diamosch. dulc. diambr. bezoardic.* ☽*are, fecul. pæon. specif. cephal. Michael. mag. corall. C. C. cran. hum. magarit., succin. ungul. alcis,* ⊖ *cran. human. C. C. succin. pil. cephal. Fernel. de ladan. Hartmann. de succin. Craton.* &c.

℞. ▽ *apopl. Lang. carfunc. aur.* a. ℥ß. *cerasf. nigr.* ℥ij.
elix. cephal. Rolf. ℞*æ corall.* a. ʒj.
ess. castor. ℈j. *sir. pæon. julep. gemmat.* a. ʒiij.
M. S. Hauptstärckendes Träcklein.

℞. *ess. succin. lign. aleos* a. ʒj. *ambræ* ℈ß.
elix. ceph. ʒij. M. S. Haupt-Mixtur.

℞. *specif. cephal. Mich. fecul. pæon.* a. ʒß.
mag. corall. cran. human. succin. a. ℈j.
⊖. *C. C. vol. fix.* ℈ß. *castor. ppt.* gr. vj.
M. D. in chart. S. Hauptpulver.

℞. M℞. *de succin. Crat.* ʒß. *extr. ladan.* ℈j.

mag.

mag. C.C. flor. ℥ *nat.* a. ℈ß. *fragm. lap.* 5. *pret.* a. gr.v. *extr. castor.* gr.iv. M.F.c. *elix. vit. Matth.* q.s. l.a. pil. S. Hauptpillen.

Exterius ad caput roborandum & spiritus confortandos proficua sunt balsama apoplectica, epithemata cephalica, cucuphæ & topica recensita alia.

℞. *rad. ir. Flor. pæon.* a. ʒij.
fol. beton. majoran. meliss. serpill.,
rosmar. puleg. pol. mont. a. p. iij.
fl. anthos, cheiri, lavend.
lil. convall. stœchad. ar. chamom. Rom. a. p. ij.
nuc. mosch. caryoph. cubebar. a. ℈j.
succin. benzoes a. ʒß. *ambr. mosch.* a. gr. ij.

Concis. contus. g.m. M.D. in chart. S. Species zum Mützlein. Species hæ sindone rubrâ cum interpassatione exceptæ capiti imponantur sive siccæ, sive vino aut ▽is cephalicis imprægnatæ & calidæ.

Ab his ad tertium fontem, Diætam, accessum quoque facimus, ubi, quid circa sex rerum nonnaturalium usum observandum sit, breviter exponemus. Aer nebulosus, noxiis vaporibus refertus, & nervis inimicus frigidus fugiatur, aut arte corrigatur. Cibi sint bonæ notæ, ritè præparati ac cephalicis calidis & aromatibus, *cardamomo, mace, caryophyllis, zingibere* &c. conditi. Cerevisia bibatur à fecibus probè depurata, simplex vel medicata. Exulet utrinque excessus. Vini etiam usus moderatus concedi potest ad spirituum & caloris refectionem.

Motus corporis moderatus Spiritus agitando & eorum στάσιν præcavendo frigidiores adjuvat. Gaudium & εὐθυμία optima sunt, certioremque sanitatem promittunt; ira verò, metus, terror & tristitia quovis modo declinentur. Somnus sex vel septem horarum longitudinem non excedat, ne sanguis, perfectâ ventilatione plus justo retardatâ, torpidior reddatur; eandem ob causam decubitus supinus cane pejus & angue vitetur.

Nec nimiis vigiliis spiritus dissipentur. Cumq; ægri plerumq; in somnum propensi sint, ingruente vel ex parte ablato paroxysmo, summâ curâ & studiô arcendi sunt, alloquendi, excitandi, circumducendi, somnus enim πνευματοστασίαν & pororum obstructionem maximè juvat.

Alvus & reliqua excretoria officio suo spontè, aut medicamentis leniter solicitata respondeant.

GOTHA mihi quondam mater & Patria ſvavis,
O & præſidium, dulce decusque meum!
Hunc ego LUDVICI veſtigia clara ſequentem,
&, ſi quæ noſtra eſt gloria, noſtra ſimul,
Hunc ſucceſſorem ſimili commendo favori,
qui mihi, qui largo contigit imbre aliis.

Nob. & Clariſſimo Dn. Doctorando ob eruditionem ſingularem, & modeſtiam inſignem mihi cariſſimo de meritiſſimis honoribus medicis ex animo gratulor

PRÆSES.

Es iſt ümb einen Schlag zu thun / ſo muß des Lebens Pfeiler weichen;
Ein Ohren-Sauſen ſchicket uns / eh wir es meinen / zu den Leichen.
Stell Du dich als ein tapffrer Held / ſtell durch dis Werck dich an die Spitzen.
Was durch den Schlag zerfallen wil / das muſtu helffen unterſtützen.
Der kriegt von Eichen * einen Krantz / der in der Schlacht erhielt beym Leben
Nur einen Bürger. Du rettſt viel. Man wird Dir tauſend Kräntze geben.

* De quernis coronis vid. Antiquit. Roſin p. m. 1004.

M. Gabriel Reuſſel.

Quid præſtare queas, *Bachovi*, dulcis amice,
Commonſtrat præſens docta pagella tua.
Non Te pœniteat multi durique laboris,
Cujus jam lætus præmia multa vides.
Gratulor inde Tibi; de Te quoque gratulor ægris,
Queîs citò, queîs tutò commoda plura feres.

Paucis hiſce de ſupremis in arte Medicâ honoribus Clariſſimo Dn. Doctorando, Fautori ac Contubernali olim ſuo exoptatiſſimo animitus gratulatur

Samuel Rochlitz, Med. Stud.

Ervida dum rapiunt homines contagia paſſim,
Bachovi laurum donat Hygea Tibi.
Auguror, expelles ſtygiam medicamine labem,
Et gemmata ſuper ſidera notus eris.

Hæc in honorem Viri Nobiliſſimi & Excellenter Docti Dn. Bachovii, Avunculi ſui honoratiſſimi, ſcripſit

Erneſtus Reyherus, Gothanus, J. U. Stud.

FINIS.



AUGUSTINUS HENRICUS
FASCHIUS, D.
ANATOMIÆ, CHIRURCHIÆ ET BO-
TANICES PROFESSOR PUBLICUS, ARCHIA-
TER DUCALIS SAXONICUS, ET H. T. COL-
LEGII MEDICI DECANUS

LECTURIS D. SALUTEM!



ΑΚΡΌΠΟΛΙΣ microcoſmi, CAPUT, illa à naturâ magnificè exſtructa domus, eſt admirationis pleniſſima, quæ rotundâ & globosâ figuratione muriſque ſuis eburneis cincta, ſublimi poſita in cacumine, *animæ ſenſitivæ* conſtituit domicilium & intellectûs præſentiâ *intelligentiarum* exiſtit habitaculum. Intellectus enim uti hominem divinâ luce adimplet; ita ſenſus ab hâc illuminatus præclaras ſcientias parit, quibus tenebricoſa diſcutitur ignorantia. Proximum habetur cœlo caput: ubi ſenſuum ſuorum arcem homo habet, quò cordis vis tendit & deſinit omnis. Altiſſimum hîc culmen, glorioſum hic mentis eſt regimen. Cerebrum enim, tanquam pretioſiſſima merx, duabus membranaceis involutum chartis in ciſtâ capitis eburneâ reconditum & integumentis reliquis communibus inſuper munitum deprehenditur, ne ab extra eidem vis aut jactura inferatur incorrigibilis. Hunc in finem ἡ δὲ κεφαλὴ τοῖς μὲν πλείστοις ἔδοξε διὰ τὸν ἐγκέφαλον γεγονέναι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰς αἰσθήσεις ἁπάσας ἔχειν ἐν αὐτῇ καθάπερ τινὰς ὑπηρέτας, καὶ δορυφόρους μεγάλου βασιλέως. *Plurimis viſum eſt caput propter cerebrum factum fuiſſe, ob eamq; cauſam ſenſus omnes in ſeipsô continere, tanquàm ſervos quosdam & magni regis ſtipatores*, juxta *Galen. lib. 8. de uſ. part. corp. hum. cap. 2.* Hiſce regiæ aulæ elegantibus innititur cerebrum columnis, ſinus fovens coactos, plexus habens inexplicabiles, labyrintheos alens flexus, ut per argenteos nervorum funiculos innumeras in corpus ſcaturigines dimittat, imperiumque in ſibi ſubjectas partes formet, firmet, exerceat. Divinô enim perfuſum cerebrum eſt ſpiritu, & maximè conſpicua in cerebrô divinitatis ſedes & ἐνέργεια, à quâ nobiliſſimæ omnium ſenſuum acti-

ones proficiſcuntur, propter motum continuum & propter movendi vim, tanquam cœleſte principium, per nervorum radios in corpus undiquaque diffundendum. Nervi quippe & ſenſus exin originem ducunt; illudque ipſum inhabitant, quibus præ reliquis gaudet homo animantibus omnibus, RATIO & INTELLECTUS, quem liberum agendi arbitrium ſequitur. De his ſibi ſolus gratulari debet homo; donum enim habet divinum & ſingulare, quô valet præeſſe & prodeſſe omnibus, quæ hic alit orbis. Mentibus etiam participat cum ſuperis, &, quod majus, divinitatis radium de ſe ſpargit prælucidum. O ingens decus hominis! Animæ præcipua virtus eſt ratio, quæ ſuæ divinitatis non obſcura in actionibus edit argumenta. Vitales enim ſpiritus in ſuis concameratis receſſibus attemperat cerebrum, ut partim ad ſenſuum organa diffuſi rerum forinſecùs adparentium ſint nuntii; partim per omnem molem diſperſi rationis & ſapientiæ miniſteria exequantur. Unde non inconvenienter horum intuitu exclamavit *Zoroaſter: O homo audacis naturæ miraculum!* Verumenimverò, licet homo, ad imaginem Dei creatus, planè admirandus ſit, undè & hôc nomine omnium rerum qſ. menſura & omnium animalium qſ. miraculum divinum à *Platone* ſalutatur; nihilo tamen minùs poſt lapſum Protoplaſtorum corruptus, & plurimis mutationibus obnoxius, deplorandus idem erit. Nihil enim adhùc in corpore noſtrô tàm floridum, quin defloreſcere queat. Nihil adeò conſtans, quin corruat. Nihil vegetum, nihil pulchrum, quin flacceſcat & pereat. Duobus: *ægrotandum*, *moriendum*. Non opus hîc teſtimoniis: quisque ſui interitum teſtabitur; quem vel minima corporis particula etiam confirmabit. Caput, (cujus encomia ſanè ampla ſunt,) licet omnes hominis actiones dirigat, omnibusque vigorem adſpiret partibus; attamen graviſſimos pati cogitur morbos, ipſius robur vel corrumpentes, vel invertentes, vel planè ſupprimentes; id quod horrendo ſatis ſpectaculo edocet APOPLEXIA, quâ correpti, nullis ſæpè prægreſſis indiciis, tanquàm fulmine tacti, vel inter ipſos ſermones, vel inter alia negotia, ſubitò in terram proſternuntur, ſecuri qſ. percuſſæ inſtar victimæ corruunt, ἄφωνοι, ἀναίσθητοι, nihil videntes,

tes,

tes, nihil audientes, nihil moventes, ſed truncorum inertium in morem jacentes. O miſerabilem ſtatum! Nunc omnia inverſa, quæ divina videbantur. Inverſum domicilium rationis, turbata œconomia ſpirituum, partibus vigor demtus, motus ſuppreſſus omnis. Quæ viſa ſunt firma, nunc mortis premuntur robore & reſolvuntur. Impeditur nunc omnis motus, ſenſus perit, ſpiritus retinentur, reſpiratio ſtertoroſa adeſt cum difficultate; quæ omnia fortem apoplexiam & periculoſiſſimum indicant ſtatum; quam λύειν ἰσχυρὴν ἀδύνατον· ἀσθενέα δ' οὐκ ῥηΐδιον, juxta *Hippocr. 2. aphor. 42.* Conabitur tamen hanc egregiam & intricatam ſatis materiam de APOPLEXIA extricare & locô Inauguralis diſputationis proponere Vir Clariſſimus juxta ac Doctiſſimus

DN. GEORGIUS HENRICUS BACHOVIUS,

Medicæ artis Doctorandus digniſſimus, cujus vitæ ortum & progreſſum, more nunc apud nos receptô, paucis recenſebimus. Mundanam hanc lucem adſpexit *Tonnæ*, propè Gotham, Metropolin Ducatûs Saxo-Gothani, ſitæ, Anno Salutis noſtræ M DC LII. d. XXII. Julii. E familiâ *Bachoviorum* aliàs celebri prodiit hic noſter, patremque habuit Virum Spectatiſſimum & Clariſſimum DN. FRIDERICUM BACHOVIUM, Sereniſſimorum quondam Ducum, DOMINI ERNESTI, & DOMINI BERNHARDI I. utriusque Glorioſiſſimæ memoriæ, primùm cœnobii Wechtersvvinckeliani in Franconiâ tum temporis ſub auſpicio Saxonico in præfecturæ formam redacti; mox indè, publicâ rerum facie mutatâ, eccleſiaſticorum redituum Gothanorum Præfectum; tandem verò in ſupra laudatâ civitate, *Tonnâ*, privatæ vitæ ſtudio vitam finientem; Matrem verò virtutum omnium genere conſpicuam, ANNAM SABINAM, Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Experientiſſimi DNI JOHANNIS VOLCKII, Medicinæ Doctoris & Poliatri Gothani famigeratiſſimi, τοῦ νῦν ἐν οὐρανοῖς, filiam. Quartô ætatis ſuæ annô duriora ipſi contigere fata, quæ Patrem ſubtraxerunt dilectiſſimum. Orbatus Parente ſuô dehinc ſub inſpectione, curâ & ſimul informatione fideliſſimâ præclariſſimorum Virorum, Adfinium ſuorum

debitâ observantiâ colendorum, Dn. M. Andreæ Reyheri, Gymnasii, quod ibidem floret, Rectoris suô tempore celeberrimi; & Dn. Georgii Hessi, Conrectoris, hodiè verò æquè meritissimi Rectoris adolevit; & cursu per omnes, quotquot Gymnasium constituunt, classes absolutô, bonarum artium fundamentis tàm privatim, quàm publicè jactis, pietateque simul & moribus probatissimis imbutus ad Academica Studia animum præparavit suum. Dimissus proindè fuit ante sex ferè annos die III. Decembris optimâ cum pace, & suadentibus sic Patronis *Tübingam* ad Everhardinam frequentandam sese contulit, ubi primus labor ipsi fuit, ut philosophicis incumberet studiis, eademque per biennium sedulò excoleret. Hinc inclutæ Facultati Medicæ ibidem nomen professus est, animumque ad ipsam medicinam direxit suum. Quô factô, in arte hâc saluberrimâ sub auspiciis & ductu Virorum Nobilissimorum, Excellentissimorum & Experientissimorum, Dn. D. Johannis Conradi Brotbeckquii, b. m., Dn. D. Georgii Balthasaris Metzgeri & Dn. D. Eliæ Rudolphi Camerarii, Professorum Medicinæ ibid. celeberrimorum, audiendo, opponendo & respondendo ultrà triennium diversis in Collegiis & Lectionibus sese optimè exercuit, & hâc ipsâ occasione collegium physicum examinatorio - disputatorium ad medicinam directum; duo institutionum, unum explicatorium, alterum disputatorium habuit, ac denique his practicum, ad methodum Jonstonianæam institutum, adjunxit, quæ omnia cum emolumento studiorum suorum notabili absolvit. Humana etiamcadavera binis vicibus in theatrô anatomicô ibid. vidit in suas partes resoluta. Neque suffecisse jam numeratus labor ipsi visus; proindè cathedram publicam quinquies adscendit, thesesque occasione aphorismorum Hippocr. *25. usque ad 40. libr. 2.* & *aph. 69. usque ad finem lib. 4.* conscriptas sub præsidiô suprà laudati Dn. D. Metzgeri; & postmodùm de *causis morborum intemperiei & occultarum qualitatum*; de *morbis in genere*; de *anorexiâ*, quam propriô conscripsit marte, præside Dn. D. Camerario habuit, masculeque defendit. Similiter etiam pro more antiquitùs ibidem intro-

ntroductô orationem anniverſariam de IRA juſſu prælaudatæ acultatis Medicæ ſolennem cum applauſu habuit. Quibus omnibus laudabiliter peractis, ſuperiori annô ſub initium menſis Aprilis ſeſe domum contulit, & pau'ò pôſt noſtram Salanam ingreſſus profitetur Præceptorem fideliſſimum Virum Nobiliſſimum, Excellentiſſimum atque Experientiſſimum DN. RUDOLPHUM WILHELMUM CRAUSIUM, *Phil. & Medicinæ Doctorem, Chimiæ & Practices Profeſſorem famigeratiſſimum, Seniorem Facultatis noſtræ graviſſimum*, qui elegantiſſimas operationes in ♁io & alias exhibuit. Poſteà ſeſe concredidit *Nobiliſſ. Excellentiſſ. atque Experientiſſimo* DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO, *Medicinæ Doctori, Theoretic. Prof. Publico & Archiatro Saxonico celeberrimo*, p. t. Academiæ noſtræ *Rectori Magnifico*, à cujus ore pependit tùm in publicis lectionibus, tùm etiam privatiſſimâ ipſius eſt uſus informatione, audivitque ipſum docentem, quæ ad theoriam medicinæ ſpectant; diſſerentem de re medicâ, de formulis præſcribendis, de febribus & ſuper Timæi caſus medicinales. Auditor qq. ſedulus fuit operationum chimicarum ab ipſo habitarum. Et denique ſub Ejuſd. Præſidio quartam diſputationem phyſiologiæ ſuæ medicæ publicè & viriliter defendit, & inſuper variis in diſputationibus inauguralibus opponentis ſpartam cum adplauſu ſuſtinuit. Neque *Ego* ſilentii peplô poſſum involvere ſingularem induſtriam Clariſſimi noſtri Doctorandi, quam partim penes cadavera à me diſſecta exhibuit; partim in botanicis per integras duas æſtates probavit, ubi ſemper ad latera ſtetit mea, fidelisque per montes perque dumeta fuit comes. Sedulitate itaque tali cùm ſibi egregiam in medicinâ theoreticâ & practicâ acquiſiverit notitiam, ſuaſu Patronorum ſuorum non ita pridem Facultati noſtræ nomen ſuum dedit, inque numerum Candidatorum recipi & ad examina conſueta admitti modeſtiſſimè petiit. Admiſſus ingenii acumen & eruditionem ſuam adeò probavit, ut ad medicinam exercendam omninò idoneus & Doctorali Dignitate dignus judicatus fuerit, & proptereà cathedra publica etiam ipſi adſignata ad diſputationem Inauguralem pro Licentiâ habendam. Hanc juſſu

Facul-

Facultatis sub Præsidio suprà laudati *Magnifici Dn. Rectoris* solenniter d. III. Nonas Novembris in auditorio majori instituet; quam ut Magnificus Senatus Academicus, Omnium Ordinum Doctores, & quicunque Medicæ arti favent, honorabili præsentiâ condecorare velint, prout decet & par est, observanter & amicè rogamus. P.P. Jenæ Pridiè Calend. Novembris
M DC LXXX.

